

Memoria exequialis  
**BARBARÆ ROTEN-**

**BURGICÆ,**

*Ex*

Nobiliori & antiquiori

*Equitum,*

*à*

**SOEBEN/**

Familia oriundæ,

*Fœminarum,*

Virtutibus matronalibus

Præcellentium

**SINGULARIS EXEMPLI,**

*Post obitum,*

*Duorum maritorum,*

*Avitæ propriæq;*

*Nobilitatis elogio*

*Splendentium,*

**VIDUÆ**

*Supra Sexum sequiorem*

**COMMENDATISSIMÆ,**

**ET**

*Adhujus ex filia*

**NEPOTEM ILLUSTREM**

*Epistola consolatoria*

**VALENTINI ARITHMÆI**

*Lignitio - Silesij.*

ANNO ∞ Id. CXII.

Typis JOANNIS EICHORN.



DEO UNI IMMORTALI SACR.

Qui mortalis, & fatalem Divam  
vereris venerarisq;

aperi oculos:

Occubuit, & hic cubat,

Cujus obitum

*Nullus invidorum, si CHRISTIANUS,*

*optaverat,*

*Nullus subditorum*

*Speraverat,*

*Etsi vigilantium ratio & consideratio*

*Crediderat & tradiderat:*

Quia homo nata

BARBARA LÖEBEN

In Güntersdorff/ &c. Domina,

MATRONA

Generis antiquitate

NOBILIS,

*Spe&ata foeminei*

*Decoris integritate*

LAUDABILIS,

CONJUNX

*Duorum maritorum*

*A vita propriaq; laude*

*vere nobilium premortuorum*

AMABILIS,

I. ALEXANDRI à ROTENBURG

In Grosleslau & Gehren / &c.

II. NICOLAI à ROTENBURG

in utroq; Nettkaw & Gehren / &c.

Hereditariorum,

*Hujus*

*Serenissimorum Electorum*

*Saxoniae & Brandenburgensis*

Nec non

Augustissimi LIGNICENSIIUM

Principis CONSILIARII.

Ex illo, MATER

Duarum filiarum,

Ex majori natu

A V I A

III. Nepotum

Unius vivi

ALEXANDRI-SIGISMUNDI

L.B. à Zedlitz, &c.

IV. itidem Neptum.

Orta

Anno 1555 die Viridium

Mortua

Anno R.S. 1612, 14. Decemb. die BARBARÆ S.V.

mane c. h. 3.

Cogitatione in CHRISTUM defixa.

Qui vivis & vivere aves, disce occumbere ut feliciter abe-

undo ad æterna SUPERUM subsellia possis

accumbere.

OMNIA ORTA OCCIDUNT.

**M**atronale decus sepelitur *B A R B A R A*: caris  
Manibus exequias ite frequenter anus.  
Ite pia nata, pia pectora tundite palmis,  
Occidit heu vestri certa medela sinus.

Stoicida fermenta nepos depone, dolete,

Neptes, lugubri cingite veste latus.

Germani fratres præclari stemmatis ortu

Insignes, *J O A N, M A X. F R I D E R I C E, V I R I*

Tentate accentus & leti insigne Cupressum,

Cui viola immixta, lilia, rosq; maris.

*S T O S C H I* amor Ardalidum, mellita Equitumq; medulla,

Doctorum, Latij gnara viroris apis:

Sollicitos absterge animos, & nectare *N A T A S*

Pasce, tuo quarum est una tori socia.

Tempora quid semper ferali obnubere taxo

Semper & obstipio cernere humum capite?

Indulgere meris lacrumis & perpete luctu

Luctantes oculos egerere instar aquæ?

Mancipio nulli *M A T E R* datur, omnibus usu:

In multos sat erit posse videre dies!

Jungere me *Claria* juvat hoc modulamen in umbra.

Exequijs sacrum *B A R B A R A* sancta tuis.

Nasci, denasci, res est solemnis, & hoc est

*B A R B A R A* sub cryptæ quod requiescat humo,

*B A R B A R A* flos matrum meliorum pulcer, honoris

Quâ non ulla decus foemina majus habet.

Ipsi obitus gratus: *C H R I S T U M* moritura vocabat

Voce, Redemptorem, deficiente, suum.

Non aliter possent Zephyris & solibus icte

Dissolvi teneræ, vere tepente, nives!

A D

AD  
ILLUSTREM & GENEROSUM DN.  
DN. ALEXANDRUM - SIGISMUNDUM  
L. B. à ZEDLITZ & Newkirch / In Großleßlaw / Logaw /  
Eschen / Seedorff / & Wintersdorff / &c.  
Athenæi Marchici  
RECTOREM MAGNIFICUM.  
*Avia maternæ obitum  
Graviter lugentem.*



Apienter sapiens ille fertur imi-  
tatus Socratem cum Puero, Orestem cum  
furioso, Ambrosium cum pio. Serviendum  
enim scænæ, vivendum cænæ, utendum fo-  
ro, indulgendum thoro, parendum divino  
fato, contradicendum humano voto. Cer-  
te neque mihi dica imprudentiæ dicenda, si hoc tempore,  
Illustris gentis, generosæ mentis DN. DN. ALEXANDER-  
SIGISMUNDE L. B. à ZEDLITZ cum Heraclito hume-  
ctem fletibus ora! Hoc, inquam, tempore infesto & infausto,

---- - *Quo plangoribus ades.*

*Fœmineis ululant, ferit aurea sidera clamor.*

Qui plangor & angor Matris? quam attonita hæret? quantam  
ecstasin patitur? quantis cœlum questibus implet? quæ cõ-  
ploratio materteræ? quæ lamenta sororum? qui vultus sub-  
ditarum acerbo dolori frenæ laxantium, limpidam læticiæ  
aquam salfugine Jalemi lutulantium? alia sibi scindit capil-  
los, alia findit genas, alia pectus & humeros crebris ictibus  
verberat, alia quiritatur interire fœminam antiqua prosa-  
pia nobilem, alia Matrem subjectorum omnium & singulo-  
rum venerabilem, alia Patronam egerorum liberalem, alia  
propugnatricem pietatis & castimoniæ acrem, alia curatri-

A 3.

cem

cem domus LESLAVIÆ alacrem, alia conservatricem  
fortunarum laboriosam, alia coronam ex innumerabilium  
virtutum florib. compactam flaccescere, aliæ alia quæ diver-  
sa diversas querelas & lēssum, non diversus suggerit dolor.  
Quæ tua GENEROSE BARO, mens est? nonne hujus  
excelsitas perculsa in medio planctuum æquore ferè im-  
mergitur, verè profectò mergitur? Etsi enim fletus ingemi-  
natio & continuatio non deceat nedum exornet masculum  
pectus: sed tantum fœmineum natura ad rores oculorum  
propensum juxta versum Poetæ Salmonensis:

*Ut flerent oculos erudiere suos;*

Tamen cum Heroe illo, lumine frontis in terram coniecto,  
animi erecto calcem & falcem MORTÆ rumpentis &  
corrumpentis attentus libras & ad veri judicij pendes lan-  
tem mœstior, ne aliquis frigidus aut rigidus de Stoâ sis, nul-  
loque inviolabilis & forabilis ictu audias instar Cænei. Ho-  
mines sumus. convenit, & aliorum & proprijs difficultati-  
bus moneri moverique. In primis ubi vinculum fidei arctè  
vel vinculum sanguinis nexum! hoc à natura illud à cura. Est  
cui agrum fuerit florem aliquem novem mori. Est qui pi-  
scem Murænam atratus luxerit. Est, qui Philomelam fune-  
bri pullaque veste indutus deploraverit, Reprehensi omnes  
clypeum prætextumque affectus officiosi objecere. Quantò  
aquiùs est hominem & quidem uniùs ejusdemque seminis,  
si non nominis, deficiente lingua, interrupto & intercluso  
spiritu, JEHOVÆ secreto sub tractum prosequi nãnijs?  
non intelligo mercede conductas & productas, quales fue-  
re olim Præficarum ad bellum usque Punicum. Te itaque &  
tuis dignus hic luctus conceptus ex obitu AVIÆ, fœminæ,  
ad exemplar omnium nobilissimarum virtutum insignis.  
Sed heus, cū grege & te rege debitâ lege, qui Heliconæ Aca-  
demicum gubernas. ostende te in adolescentia virum, de-  
fende

fende literarū certitudinem, literatorū fortitudinē in utri-  
usq; fortunæ facie seu prospera, seu aspera. vis aliquid Latia-  
ris eloquij cothurno vincti, nectare solatij Musici tincti deli-  
bem & litem? vis pectori illud applicem spinis mœroris &  
horroris obvallato? Tuum est invitare, meum obtemperare  
& præstare. Voverē in argumentis acumen plusquam Chry-  
sippeum, in sensu pectus pœnē Socraticum, in verbis mun-  
ditiem Veneremq; planē Ciceronianam, ut hæc *περὶ σωφροσύνης*  
Epistolica cum tuam tū aliorum mœstitiam levaret, quietē  
cōciliaret. Quid? anne tua AVIA à via naturæ aberravit, aut  
in ea celsipitavit? anne creata fuit ad hanc tēporalē vitā? nōne  
unā cum omnibus potius ad fatalem viam perpendam,  
immortalem transferenda? Sic me docet sensus & assensus,  
ille rationis, hic fidei. uterq; homo exterior & interior per  
illarum iter ad hujus posterioris amœnitatem penetrare  
debet. Hic à primo motu, divīno volente nutu sempiternam  
cogitat agitationē, agit cogitationē, nisi quod ille nempe  
corporis structura & cōpages, hujus nēpe animæ tegumentū  
& velamentum in pulverem redigendū, de quo in exordio  
mundi effectum, in fine refingendum. Anima non decrescit,  
cum corpore, imò mens crescit, ut declinat corpus, & quò  
propius hoc morti, eò illa liberior, quo extenuatur hoc ma-  
gis, eò illa alacrior. Quæ sententia non tam Christianorum,  
quam sapientiorum Ethnicorum. Instar omnium sit unus  
Pythagoras. Hic docuit animam esse substantiam incorpo-  
ream, nunquam interituram, in corpus propter peccatum  
tanquam ergastulum detrusum. Quam dicunt *μετεμψυ-  
χῶσις*, etsi immortalitati non planē contrariam, immeritò ei  
affingi crediderim cum Gallorū literatissimorum nobilissi-  
mo, nobilissimorum literatissimo PHILIPPO MORNÆO.  
Et quorsum Poetarum somnia non somnia de campi Elysi  
floriditate, in quam abripiantur animæ auream virtutem  
sequen-

sequentium & assequentium HERORUM, nisi certi fuissent  
entheam illam divinæ auræ particulam non posse extingui.  
Conijce oculos præterea in circumflexum orbis latum, læ-  
tum urbium latus, reperiēs legem à Principio dictam omni  
sub sole repenti & regenti. NASCI, DENASCI, ORIRI  
ABORIRI. Nil stabile; sed quodcunq; labile voluit arbiter il-  
le rerum, nonne Sol deficit? nonne luna tabescit? nonne sive-  
ra labuntur? nonne proximus aer cœlo cottidiè mutatur?  
modo inventos abit, modo in nubes, modo in imbres, non-  
ne flumina mutant alveum & cursum, nonne oceanus ma-  
gna arcanaq; naturæ pars tempestatibus jam tollitur, jam  
deicitur, jam suos habet aquarum accessus, jam recessus.  
nonne terra sæpè tumore & tremore concutitur, aquâ suf-  
funditur, igne contunditur? nonne orientalis plagæ orna-  
menta, quæ olim florere, nunc exarere? Germania opi-  
ma, optima regionum, feracissima religionum, quas non  
habet vicissitudines. ubi illud totius orientis clarissimum  
caput & Epitome Hierosolyma? exstructa ea pulcherrimè,  
destructa miserrimè nonne illa urbium in orbis delitio  
Princeps & Domina frequenter diruta & incensa? nonne  
illius æmula fortunæ intonantis spiculum experta? Omnia,  
quæ hodie vigent, cras frigent, ita,

*Ludit in humanis divina potentia rebus!*

Hominemne dixerimus interitui non obnoxium, ab omni-  
bus amaritudinibus & sollicitudinibus liberum? Contra  
hostium irruptiones exstruuntur arces, firmantur propu-  
gnacula. Contra vim mortis nulla valet vis, nulla fraus, nul-  
lus aries. multa extorquentur privilegia à potentioribus  
contra inferiores, nullum vero obtinetur à summo Cadu-  
ceatore adversus venenatam hanc Divam. Homini nil cer-  
tius morte, nihil incertius horâ mortis, ubique terrâ & mari  
tam in pace, quam bello, tam domi, quam militiæ multis ge-  
ne-



neribus mortis expositi sumus ut loquar cum Prudentum  
responsis. Imis reponere sensibus Emblema Musei parentis,  
imò tui adfixum parietibus, quod incolimus, illud mascu-  
lum, puerum & virginem representat: alterum bullæ intum-  
escentis spumam in manu gestantem; hanc pulcherrimi  
coloris rosam. Picturæ istius sensum adjecti enucleant ver-  
sus:

*Ut subito pereunt flos pulcher, bulla tumescens:  
Sic hominum vita est, atq; ipsum vivere partis,  
Qua meruit sua dextra jubet lex aetheris alti.*

ô mirum necessitatis præscriptum! ô fatalem nascendi per-  
eundiq; gyrum! Tu ergo GENEROSA MENS, hoc onus  
non feras, quod ferunt omnes? Solon amicum quendam  
Athenis mirabiliter & miserabiliter consternatum in arcem  
deduxit & subjectas omnes in magna urbe ædes ostendit.  
Cogita, inquiens, quam multi luctus sub his tectis olim fue-  
rint, nunc sint, postea futuri! Quid porrò in hac vita est ma-  
gnopere expetendum? aut quid in morte, quod tantopere  
confugere conveniat? nonne gemebundi vitam ingredi-  
mur, nonne in hac indignabundi progredimur, querebun-  
di digredimur, nonne tandem ex hac tremebundi egredi-  
mur? Rectè ille; cum lacrumis orimur, cum lacrumis mori-  
mur. Infantia imbecillitatis speculum, pueritia carceris um-  
braculum, adolescentia infantia interitus, juvenus semita  
vitiatorum, virilis ætas scopulus Oceani, senectus omnium  
ante actorum malorum colluvies: Fugacia universæ vitæ no-  
stræ folia, vento quovis facilimè attollenda & dispergenda,  
Hæc continuum iter ad mortem, secundum Philosophum,  
exemplum infirmitatis, spolium temporis, alea fortunæ  
imago inconstantia, trutina miseria, ludibriorum scæna,  
copia tribulationis, inopia consolationis, mare cordolij, per  
quod ut maximè ex voto tibi feratur navis, tamen in syrtes

B

&

& Charybdes delatus efferuescas, multisq; vadis obhærescas necessum est. Mortis cuncta metentis falx quid? terminus motus & vitæ hujus limes. Si quid in ea mali, malis tantum. Vivendo morimur moriendo vivimus, non secus ac horologium ad certum horarum numerum intentum & libratum ipso motu motum singulis momentis, deperdit. Sapientissimus ille Græcorum mortem esse autumat similem profundo somno aut diutinæ peregrinationi. Ille omnem adimit sensum, & animus à corpore digressus aliquando in suum domicilium rediturus est. Gorgias senex decumbens rogatus quâ uteretur valetudine? respōdit: optima. Somnus enim me commendavit suo fratri. Epaminondas moriturus ad cives divit: Mors ne metuenda, imò optanda potius, quia finis hujus miseræ & principium melioris vitæ. Vester Epaminondas dum denascitur de novo nascitur. Hinc Cæcilia virgo ajebat: In homine nihil mori, nisi calamitatem. Pauper quis est? spretus jacet, egestate laborat. Dives quis & nobilis audit? Saturnius elationis ipsi metuendus dens. Doctorum quis pulpitis inhiat. Momi ferendæ vres, hauriendum virus. Ita res est, ubi melior fama surgit, adhæret statim calumniæ scabies & rabies. Quid mirum? Eminentia feriunt procellæ. ut pirate in mari onustæ navi insidiantur, vacuum prætereunt: Ita illis fit, quos jactu tangit ad ossa Deus felici. Inde hæ adversantium cavillationes: Theologus de fide contentiosè disputat. at nullam unquã admittit charitatis mentionem. Jureconsultus rebus publicis condit præscripta, sibi ipsi legem statuere nescit. Medicus aliorum infirmitatibus. consulit, in proprio languore balbutit & cæcutit. Philosophus naturæ cognitionem jactitat, neq; sui ipsius correctionem admittit. Quod si paremus aditum in adyta cœlestia, tempe æternum frondescentia, beatos efficientia, non est ut nos capiat, tædiū, sed potius immensum gaudium. nonne

○.

Olympicū stadium & spacium, profluviū amœnitatū, quarum similiū gustum nulla mens sensit, descriptionem nulla auris audiit, commemorationē nulla lingua proferre potest. Quā in re vela latiūs panderem, tela lōgiūs mitterē nisi scire pietis radium in tuo pectore clarē splendescere, & hunc locum sibi vindicare Theosophorum tribunalia. Tandem generosissima anima attende & intende, quis fuerit AVIÆ tuæ cursus. Natura ipsam fecit solertem, castam, piam, sobriam, frugalem, fidelem, experientia prudentem. Non fuit in acie earum, quarū iudicium est fragile, intellectus stupidus, quæq; magis contra propriū laborent cōmodū, quā ut illud provehant. Quid multis? Inter nobilissimas matronas rei œconomica gubernandæ facilē tenuit principatum. Nec saltem in hac merita est laudem ingentem: verum etiam doctiorum, gavisā colloquio dissertationes miscuit graves. Ego certē ex vestibibus agnovi matronam ex iudicio & discursu VIRUM. verē dico & nullus non assentietur nisi qui turpissimo livore ceu incendio æstuat. cogita abitus tranquillitatē. ut enim vita ipsius optimē acta; Ita mors optima, mors placidissima, mors in Christo beatissima, beatissimæ vitæ proxima. Etenim non Endymionum sensum & censum exoscullata, nō mandragoram bibit, neq; securē in oculum utrumque dormivit; sed munita contra externa, intra se mansit, à cuius omnibus secura, præter unam, ut fractus subactusque animus rectē rationis lumini & divino numini subijceretur, animo cæteræ res humanæ. Fronte composita spectavit & expectavit, acclamante ardentem verbi divini præfule, illum diem quo supremus Princeps hoc corpore, imò carcere illam solveret. Obstructiones ventriculi fuere, quæ ipsam ultra duodecim septimanas, tenuere affixam lecto, internæ inflammationes postea subsecutę, cessante naturali calore facultatis, retentricis, vomitus, calculus renum, dolor intesti

norum invaluerē, & nescio quæ arcana alia symptomata, ad  
 quæ Medici Dd. excellentes, HENNINGUS ARNISÆUS,  
 Academicus Professor & Pro-Rector, JOANNES VVEID-  
 NERUS, Physicus Grunbergensis quibus adjunctus in de-  
 ploratissimo statu LAURENTIUS FABER Physicus Cros-  
 nensis, ratione Phænices, curatione felices non quidem ca-  
 ligarunt: at trepidarunt, animadvertentes adesse lucem illā  
 decretoriam, quā herbis omnibus, medicamentis omnibus  
 consilijs omnibus vires, DEO sic volente, subtrahuntur. Ipsa  
 autem nequaquam trepidavit; sed animosè ingeminavit:  
 VOLO MORI respiciens ad dictum Apostoli, cupio dissol-  
 vi & esse cum Christo. Scivit foemina edecumata pietatis  
 hanc legem universo generi humano datam: nec magis no-  
 vum aut mirum mori hominem, quàm nasci. Hac conside-  
 ratione acquiescens mens ipsius, sana & integra ex cœno an-  
 gorum, ex tristissima solitudinis terrestris abyssu dejecta, &  
 in altissimū beatitudinis cœlestis palatum est profecta, die  
 decimo quarto Mens. Decemb. matutino tempore circiter  
 tertiam. O felicem tuam, BARBARA NOBILISSIMA, ani-  
 mam! quam vellem tecum tam placidè expirare. Summa fe-  
 licitas est incorrupta mente & sensu inter ardentia & fer-  
 ventia suspiria Spiritū suum CREATORI & RECREATO-  
 RI reddere. Si igitur nihil in mūdo præter turbas, erumnas,  
 miserias. Si nihil in superis sedibus præter rosas, sesamum,  
 & papaver, qui ingemiscas, qui mortem, accuses tot tantisq;  
 malis eximentem? Consideremus potiùs nostrum sortem, a-  
 spiremus ad mortem & per hanc ad immortalitatem.

----- *Vixit & Ancus*

*Et restat nobis hoc iter ire via.*

At hæc Philosophica sunt, inquires, dictu pulcherrima re &  
 usu asperrima! nonne insitum hoc à natura humano ingenio  
 da, tristia flectere oculos, præterire quæ læta? nonne me fati-  
 garet,

garet obitus PATRIS charissimi, mors FRATRIS GERMA-  
NI, qui ad summa omnia venisset, nisi DEUS ad verè summa  
illum evexisset, discessus AVIÆ desideratissimæ, vitæ huic  
fragili renunciantium? vix credidissem, vix prædicenti calcu-  
lum contulissem! Seges hinc enata invidiæ & calumniæ pro-  
pagini classica voce clara repetituræ. Non equidem hæc le-  
via, nec renuò acerbitalis redolere odorem: erige tamen te  
& ut palma, attolle animum cōtra hujus novi ictus pondus!  
In spice lusum rerum humanarum aleamq; fortunæ ambi-  
guæ, quæ gaudet aliquem jactum ex occulto jacere, nec ex-  
spectandum, arbitrare & mirare, voluntatē esse DIVINAM.  
Contra hanc neq; valere aut volare potest humanæ mentis  
acies. Fato vocatus parens, id est, æterna ab æterno in æternū  
DEI lege: quam adeo non abrogare fas, ut nec obrogari ei  
liceat, aut derogari. De fratre usurpa dictū Menandri: Quē  
Dij diligunt, eum in florentibus annis perimunt. nihil ipsi  
aut ab ætate aut à sorte alienum. Quæ utraq; ducere aut tra-  
here ad emortualem illam diem consuevit. De AVIA  
cogita ipsam aliquandiu vixisse, liberis optimè præfuisse  
& profuisse proximo nunquam nocuisse, virulentia lin-  
guæ dicacis semper ignovisse, & in DEI nutu omni ex parte  
acquievisse. Non te obvia indidem verbera trucident. Ut  
grando tectis magno strepitu illisa, ipsa tamen dissilit: sic i-  
sta in firmum tuum animū si cadunt, franguntur, non fran-  
gunt. Ut heliotropium & flores quidam inclinatione sua na-  
turali semper ad solem: sic ratio ad adductas rationes immo-  
tas inconcussa, queis parere, imperare est, subijci, dominio  
præfici. Pictores longa intentione hebetatos oculos ad spe-  
cula quæpam viroresq; colligunt. sic tu refer animum & in-  
fer in hanc consolationum pharetram. Nec est, ut te stringat  
& pungat vulgi stupor: Quis putasset? Non cadit hæc querela  
in sapientem, nedum SAPIENTVM RECTOREM. Etsi de-

statu vel hominis abitu nihil possimus definire sine motore illo primo, cui presentia disposita, futura cognita: Tamen hic Christiano pectori semper metuendus. In bello etiã absente hoste, semper excubiã, quid ni vigilet prudens contra improvisum omnem ictum. Si qui sunt malevolorum Cadmi satellitum, & ipsi sunt homines, humana matre nati. ut triumphantibus olim apud Romanos à tergo adsistebat servus, in medio triumphi gaudio idem idem interclamens; HOMO ES: Sic isti multo magis memores sint in ultimo Matris triũpho, infirmitatis humanã, existimentq: ipsis eandem incundam viam. Ad hunc scopum scopulos Bucconum averruncaveris! Quocirca obsequere DEO, & jussui ipsius nõ indulge aspectui aut affectui humano, obtẽpora nature tuã, consule sanitati, nec instar Actæonis in Dianam incide, dicto morem gere Aristophanis:

*Lugendi sunt moderatè conjuncti nobis olim amici,  
Non enim mortui sunt, sed eandem viam,  
Quam ingredi omnibus necessarium est  
Præjurerunt, nos etiam imposterum,  
In idem, cum ipsis diversorium inveniemus,  
Communem reliquam unã acturi viam.*

ut tela in armamentarium: sic hoc præceptum & similia in animi tui thecam reconde, quæ tibi prompta contra vim varietatẽ feritatemq; fortunæ. Eripe clypeum magnitudinis, navim flecte ad hunc portum ubi viget securitas, vires tranquillitas, in quo perfugium à senticetis & spinetis. Quem si semel amplexus fueris, nimbis circum te cadentibus, fulminibus impetentibus subsistes

*--- Medii tranquillus in undis!*

Nec te saltem firma & forma ad constantiã Insulam, pelle malas itidem aves, quæ matrem lancinant, vincla sollicitudinum deme, quibus in hoc Caucaso funerum lente ligatur,

gran.

granditer adficitur, nimioq; sudorum æstu confecta conta-  
bescit. Ipsam edoce, Levamentum magnum esse, non reniti  
scutum Palladis non moveri, scitum ejusdem, in omnem e-  
ventum hunc ventum despiciere, & è specula hac terrena  
speculum illud beatitatis adspicere. Risu excipitur ille qui  
rupem ad cymbam trahere satagit: Ita ille multò magis, qui  
vult obsequi sibi rupem æternæ providentiæ. Si sapit aut ca-  
pit **GENEROSA GENITRIX**, sequetur ab alto attrahentē  
vim, cum æquum sit, ut placeat humanæ menti, quæ placuit  
divinæ. Si solus **MATRIS** luctum levare non audes:  
en adest ad latus **ALEXANDER à STOSCH**, cujus eruditio-  
ni raræ inter pares assurgit **DEUS** ille pennatus & laureatus.  
Adhujus **GRAVITATEM, JUDICIUM EX ACTUM** cor ob-  
stupescit. In cujus amorem & laudem velut astro quopiam  
inclinante propendeo nec unquam mutabo hunc adfectū.  
Habes præterea avunculos magnos **Eqq. Strenuos & nobilif-  
simos. DNUM. JOANNEM, DN. MAXIMILIANUM, DN. FRI-  
DERICUM à LOEBEN.** Habes avum tuum quem primo lo-  
co ponere debueram **DN. DN. SIGISMUNDUM à CZED-  
LITZ L.B. Divi Matthiæ II. Consiliarium Magnum, virum  
vegeta senectute virtutisq; absolute adorea maximum.** Sed  
quò abripior? finis faciendus? hoc unicum adijcio. Miles in  
castris, animo auribus, oculis intentus & paratus ad omne  
Imperium, Idem præstes idem in hac militia. audias summū  
Imperatorem. Adhujus sacramentum adstrictus es. Hujus  
me & tuo matrisq; devoveo constanti animo ac fide, quā in  
inexpugnabili arce cōstitutam nullius efferi votum, nullius  
fatum sint expugnatura. Salve & vale Illustris & generose  
**L. Baro, RECTOR Athenæi Magnifice, flore q; in stemmatis  
ORNAMENTUM mei vero ADJUMENTUM.** Illud adqui-  
siveris, si in hoc juventutis vere non neglexeris facere se-  
mentem **VIRTUTIS & DOCTRINÆ.** Ad utramque **T. M.**

VOCO

217005 04

voco ex officio. Hæc sine illa damnosa. Illa sine hac parum  
decora. Navis inter fluctus sine clavo jactatur, quid ni mens  
sine eruditionis gubernaculo? Hoc mihi pepereris, si tu ve-  
velut CAPVT Academiæ cum membris & luminibus illius  
sublimibus me beneficentiæ tuæ herbâ paveris, benivolen-  
tiæ verba usurpaveris. Ita in ære observantiæ erga V.M. & A-  
cademiæ PATRES manebo & emanabo ex manibus non nisi  
per manes. In Großleslau ANNO 1612. die Stephani.

U. M. & G.

*deditissimi animi certissimaq; fidei Index &  
Judex calamus*

VALENTIS ARITHMÆI  
Lignitio-Silesij.



1077

71 C





QK.301

v. Soebe

Memoria exequ  
**BARBARÆ**

BURGICA

Ex

Nobiliori & anti  
*Equitum*

à

**SOEBE**

Familia oriun

*Fœminarum*

Virtutibus matron

Præcellentium

SINGULARIS E

Post obitum

*Duorum maritorum*

*Avitæ propriæq;*

*Nobilitatis elogio*

*Splendentium*

VIDUA

*Supra Sexum sequior*

COMMENDAT

ET

*Adhujus ex fili*

NEPOTEM ILL

Epistola consolato

VALENTINI AF

Lignitio - Siles

ANNO ∞ Id. C

Typis JOANNIS EIC



TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

